nes

Skorkowski Elisaei: Annum vectigal amoris in adventu Adm. Rndi P. Martini Charzewicz etc.


Biblioteka Jagiellońska
stdr0004733


V
B
J
C

ANNVVM VECTIGAL AMORIS

IN ADVENTV
ADMODVM REVERENDI

P. MARTINI CHARZEWICZ

SACRÆ THEOLOGIÆ DOCTORIS DIGNISSIMI,

Tum per Sarmatiam, & Lithuaniam,

PROVINCIALIS MERITISSIMI.



Per Frem ELISÆVM SKORKOWSKI.
A. Filijs, in Sacra ARENA ad CRACOVIAM residentibus,

SOLVTVM.


Anno à partu Virginis admirabili 1669. *Die Mense.*

CASIMIRIÆ ad Cracouiam,
Jn Officina Typographica BALTHASARI SMIESZKOWIC,
S. R. M. Typographi.

Duodecem LVMINARIBVS nouum additur.



Phosphore quid iactas minitantia Lumina nostro
Monti, consuetus per radiasse Polum.
Ecclypsim pateris, quoties aurora refulget.
CARMELI, quid cum? Fulmen in ense nitet.
Bissenas nostro numeras in Stemmate Stellas,
SIDVS CHARZEWIVM connumerare velis.



SALVTATIO.



Oties nostra ad Tuum aduentum PATER ADMODVM REVERENDE PROVINCIALIS erubescit eloquentia, quoties Annuum VECTIGAL Amoris Tibi soluendum est. Certum nempè est, & haud aliquid oraculo propius: Soluendo quis si non est, rubore cöäcto soluat; At inquiet quispiam: Amoris pensum non est, & nomen vix meretur amoris, quod calcar ad amandum sentit; imò amor stimulo eget & hamo: Hamat nempe quod quisque amat. cogit certè stimulus ad amandum meliùs, quem solummodò simplex tenuerat desiderium. hinc pudet boni & simplicis amoris eum, quem in optimum, indoles, & debita in Te P. A. R. PROVINCIALIS virtus ferre consueuit amorem. tenacem alias hæc decet sequella: Bonum soluat cum fænore pudoris, qui non reddit optimi amoris aut melioris incrementum. Iterum iam cælestis Palatij Sedem inuisit cancer, & Tu Palatium amoris, Nostri CARMELI Cracouiensis inuisisti horizontem; vbi, si, quod Tuum est non inuenis, cancer, hoc est rubore tinctus decor CARMELI manet. rubore cum non sit soluendo, soluit: At rubor pro fænore, amor pro debito omnino soluendus. Nam si Parens es, nostra tenuitas sacrâ erudita paginâ Tibi Amorem soluere, si illustris DOCTOR illuminari, & erubescere ad Splendorem Mitræ, si dignissimus & meritissimus Sarmaticarum, tum Littauorum Vrbium PROVINCIALIS Amoris VECTIGAL pendere, & in amorem solui debemus, adeo vt nihil in hac CARMELITANæ Vrbis Arena manere possit, quod Tibi Pa-

renti noſtro, ex aſſe non debeatur. Pudor certè candori MARIÆ eſt, ſi ſplendeat tinctus rubore. Romæ Vrbium Principi Splendidum ſit, Splendorem miſceri candidum rubeo, ſit illuſtre orbi, illuſtrari, & auram accendi à permiſcentibus aurò telis; candido MARIÆ cœtui dedecorum, ſuum permiſceri candore ruborem; quem, ſi Tibi hodie P. A. R. PROVINCIALIS non ſoluit VECTIGAL AMORIS, in Tuo induit Aduentu, & pudendam cogitur filialis animus ſumere tincturam. Et ita vulneri ſuo ſanando medelam quærit, exemplo vel expertis rationis cerui, qui telo ſaucius Dictamum Natura ipſa cogente arripit, CARMELI Cracouienſis filiorum affectus ſaucius Paternæ præſentiæ telo, vulneri ſuo medelam, ab Amoris Tributo opportunam quærit, quam ſi in Tuo aduentu non reperit, ſic ingrato ſaucius animo, vbique ingratitudinis pœnas dabit. Non quidem hic Athenienſium more progredimur, quibus, annuas Amoris ferias, in quibus amicos amicis ſimulacra amoris mittere ſolenne fuiſſe, legimus; nempè color hic eſt non Amor P. A. R. coloribus illi diuites animorum typos donare conſueuerunt, Nos cum Annuo Amoris VECTIGALI. non ferias annuas, non colore plenos affectus, ſed pectora ſincera offerimus, vt, cui obediendi virtutem ex facili dicauimus, neque nos affectusque noſtros, (motâ aſſentationis vmbra) denegamus. Rubeat hîc veritatis latro, & emiſſarius inuidiæ ſatelles, Momus, qui beneuolum & ſincerum animum, non aliter in cognitionem amantis deuenire exiſtimauit, niſi tralucens in pectore vitrum ad altiſſimos cordis labyrinthos conſpectum admitteret; quaſi verò mendax color non æque mortalium luderet oculos, & quod nunc latebris, nunc apertiori dolo non poſſet abſcondere. Verba P. A. R. PROVINCIALIS Cordis ſpeculum ſunt, voces animorum imagines, & ſicut radij ſolem, in notitiam deducunt, ita Orationes affectum. *Clauis nempè affectuum & pectorum lingua eſt:* Veram aperit mentem qui loquitur verè, & quemad-

quemadmodum, qui viam ad mare neſcit, amnem ſibi ducem eligit, ita ſi mentem animumque noſtrum ignoras, ſi cor indagas, per verba, quam plena hæc Amoris ſint; intellige.

At dubium eſt Tibinè Tuonè honori hoc Amoris VECTIGAL, hoc tenue ſalutandi opus debeatur, quod dubium ſi ſpectes, hoc intellige: Dubium, an filiorum tanto Parenti ſufficit affectus? & an hoc tam tenue opus dignum ſit conſpectu illius, dubium, dubiumque eſt? quia ad optimum Parentem, vix bonum eſt, quod filiorum offert Amor, non par meritis, non æquum Virtutibus, etenim ſi Te optimum Parentem filialis ſpectet Salutatio: Te ex æquo debere concernere VECTIGAL, hoc, iudicat. Si Tuos honores & merita, nil dignùm tantò homine ſoluit, niſi ſoluatur in Amorem, & cupiat eſſe Tuum æternùm mancipium. Abominabilis vel ideò proprietatis vitium contraheret, ſi non totum id, quidquid in ſe verum & ſincerum reperit, offert; ſi non reſpondentes nos verbis & vocibus inuenis, vel ſic concatenatos Tuo emancipa amori. Non melius certe alicui alio noſtra dicaremus & ſubijceremus pectora, quam Primo principique in CARMELITANA Republica Parenti; quam illi, quem in Perſona DEI veneramur, ad cuius pedes iam VECTIGAL hoc Annuum deponimus. Sint alijs regna Vectigalia; diues arca penſa & Tributa, ſit Amaltheæ cornu copia prouentus, quid hæc? Si non de liberæ mentis arbitrio, non amore ſoluantur, ſi cöäcta mortalium pauperies ad hæc ſoluenda cogatur, lacryma potius Heröüm orbis, quàm tributa ſunt; æterno non extinguenda igne. At quod amor pendit, quod vera, licet pauper filiorum egeſtas in omnem coniurata diuitem ſplendorem ſoluit, optimum tributum eſt VECTIGAL amoris eſt ſincerum, quod vel ipſe Author naturæ expoſcit, cum tribuere ſibi cordis affectum, hoc eſt amoris demandat. Itaque cum & VECTIGAL omnino ſoluendum ſit, & nemini, quam Tibi P. A. R. iam onerariam non mercium gem-

 marum-

marumque plenam, sed amoris affectus in Tuo aduentu præsentamus, & Tibi Tuoque honori deponimus. Vidimus P. A. R. PROVINCIALIS quorundam manus binas, ad se porrectas sibique iunctas Symbolisantium, hoc calculo notatas IN ÆTERNVM. Nos cum munere nostro salutandi, cum Annuo VECTIGALI cum amoris tributo non aliud deponimus, quam mentes Manus animosque nostros Tuo Amori iuncta, illud exoptantes vt IN ÆTERNVM. Nihil certè vt deuium, ita petimus inhonestum, vt quos vna æternum DEo Matrique Eius Augustæ in orbem coniuratio, iunxit eos iungat Tuum vellè amori suo. IN ÆTERNVM. Olorem in vndis natantem spectauimus, & tres vespertiliones suo volatu tenebras illi minitantes, sic pro nostro Symbolisantes affectu: ILLÆSVS CANDOR. Quid est ingruum P. A. R. CANDOR, hic MARIÆ tenebras æterni Vespertilionis non patitur vbique ecclypsim patitur ad Splendorem CARMELI, integer vbique, vbique manet ILLÆSVS CANDOR vel illo securus.

Integer Vitæ scelerisq; purus.

Vel à Natiuo MARIÆ Stemmate illustrior, Duodecem Radijs Te Vno P. A. R. Superadueniente lumine affectus noster illustrior; vel à Lumine luminum seu Numine Splendidissimus, & ita securus, non facile se posse pati tenebras aliorum sentit, quem Splendoris cælestis irradiat radiùs, vel si medium inter terrenos & Empyreos CANDOR hic teneat, à Tua Doctorali Mitra minitantes sibi vespertilionum inferi tenebras suppetijs propulsabit, ac tandem decor CARMELI manet ILLÆSVS CANDOR, tutissimus inde; quod DEVM Splendorem, Eliam igne zeli amoris Diuini Fulminantem MARIAM decorantem, Te P. A. R. PROVINCIALIS doctrinâ, consilio, virtute, nitentem pro suis habeat Tutelaribus. Hinc frustra Secretarius Naturæ Plinius tantis Tutelaribus, verborumque Phaleris abesti lapidis Constantiam, Famæ & admirationi proponit, quod

sci-

scilicet succensus ille semel igne, in posterum nullo possit extingui Oceano; pectus ille sincero candens amore vidisset, tum admiratus amoris genium, maiorem fecisset commendationem. Adeo adeo P. A. R. PROVINCIALIS & nostrum pectus vrit amore, vrit fauoribus, vrit verbis & vocibus, & ponit hoc testimonium: *Adamante scribo quia verè amo.* Pone gladios, funde Maria, explica ignes, audax noster Amor, facile pergit, quid ni Tuum pectus, Tuumque perurat affectum, Annue iam verbis & affectibus, & diem hunc, quo salutandi modum, ANNVVM AMORIS VECTIGAL recipis lætitiâ compleuisti. Sed dicere compellor lætitia hæc quam à Tuo capimus aduentu altior est, quam si nostro possit attingi ingenio; Amplior quam si verbis & eloquio dici possit, nulla dicendi vis, nullum eloquentiæ flumen sufficit, vbi exundat in Amore Amor. Isocratis suauitas hic amara, vbi amor à sincero salutandi pectore trahit dulcedinem. quamuis vnica expressa & conclusa voce. Viuat CARMELI DECOR. Mille alij munera, mille regna cum suo non ponderato hoc est minus sincero offerant Amore, non præualet regnum nostrum Amoris Regnum, quia manet in diuisum verum & sincerum, diuisum nempè regnum non bene stare potest.

Et hoc est quod soluimus VECTIGAL, quod si de sincero non sit amore Tuum est scrutari corda, rimari pectora proba potentiùs, vrge fortiùs, insta velociùs amore, & respondebit AMORI AMOR. Magnes nempè est Amoris amor. & si Tributi Amoris soluendo non sit, lubens in obsidem se suumque dat dicatque pectus, non fallit nec fallitur, quia comes amoris veritas est. nihil est quod in Tuo aduentu fictum ostentet, cum & ipsa anima plus Tibi adhæret, quem amat, quam vbi animat, id est Tuo plus honori reddit, quam ipsa teneat possideatq;. Zenonis hac in re erudimur mãdato docentis: sic amare incipe, tanquam desinere vnquam non liceret, & licet melle & felle sit fæcundus Amor, nunquam tamen liceat, verum exuere colorem: Pridem equi-

dem

dem amor hic latuit, sed hodie in Aduentu Tuo felici erumpit, vt quispiam cogatur dicere Te P. A. R. P. non aliunde posse nobiliorem sumere triumphum, quam quem Filialis amoris adstrueret ignis; habet nempe suas faces suos ignes Amor. Potuisti equidem plures numerare triumphos, & illustrior reddi ab illustri Doctorum lauru, at cui licuit de aliorum sumere victoriam ingenio, à Nostro etiam affectu & amore hoc salutandi, cum Tributo prende triumphum, vt vel inde filiorum affectus hoc capiat inscribatque suo collegio elogium, IN ÆTERNVM. Sed infortunium mortalitatis nostræ est, quod occurrentis fortunæ nos fieri Dominos diu esse non liceat, debemusq; interdum inuiti felicitatem eijcere. Est est certe altior supra nos potestas, quæ cogitationes nostras ordinat, adeo, vt nostrum tantummodò sit proponere, illius proposita disponere nonnè nos felicissimos hodie arbitramur, ad quos Optimus Parens Tu in quam P. A. R. P. diuertisti, Saltem hæc hodie nobis daretur vis, vt quem ad nos superi demisêrê, è proposito nostro, & voto sit IN ÆTERNVM. aut si proposita disponere cupit nostra tenuitas, disponat VECTIGAL hoc Amoris Nostri, vt vbiq; à nobis soluatur IN ÆTERNVM.

Ac tandem quorum diem lætitiâ compleuisti, quorum ora animosq; in Te conuertisti, eorum & Amoris tributa, VECTIGAL affectus hilaris prende. Prende pauperiem diuitis amoris, plura ferre non valemus, dicere non audemus, ne multiloquio interrupta lætitia maneat; gaudemus certè, & quem hodie ingredientem felicem salutamus, eundem annis, Vitâ, virtutibus cælo dignis progredientem diu faustum, Incolumem, vt amare sic & venerari contingat, hoc vnicum solliciti exoptantes, vnanimes cælum imploramus.

DIXI.



